



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita Gasparis Barzaei Belgae E Societate Iesv: B. Xaverii
In India Socij**

Trigault, Nicolas

Coloniae, 1611

XIV. Gasparis mors.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45183

CAPVT XIV.

Gasparis mors.

NON decebat tantum Imperatorem Domini exercituū, nisi stantem mori: & ita planè contigit. Nam attritis admodum viribus, cum suo tamen corpusculo dissimulabat, & ad antiquos labores perferendos cum etiam ante vires animum darent, nunc vires animus dabat. Concionabatur, vt solebat, & quidem decimoquinto quoque die, in æde cathedrali, alternatim, cum P. Fráncisco de Macedo, ex D. Domini instituto. Cùm ergo ea in æde, summo vt solebat concursu, sexto Octobris anno 1553. de eius Domini- cæ Euangelio verba facere cœpisset (erat autem illa parabola Regis, qui voluit rationem ponere cum seruis suis) subitò ad eam reddendam intra paucos dies apparitor morbus Gasparem, sed bene paratum, stitit. Nam cùm inter dicendum deficere se planè sensisset, vi morbi victus, cui iamdiu restiterat, manus dedit, & bo-

ZAEI
 ti pre-
 ectorum
 um est
 o quæ-
 nor &
 arbi-
 supra
 ra tuæ
 Gaspar
 genti-
 tur in
 ollige-
 rocu-
 planè
 Age-
 n effe-
 n bre-
 é iam-
 us ex-
 ietem
 at, oc-
 iosum
 um

PVT

& bona concionis venia strenuus gladiator, quam bene meruerat, missionem petijt: quæ ubi dixisset, re cõfirmans quod dixerat, à se alienatus, in pulpito lapsus defecit. Accurrunt proximi, & cum maximo omnium doloris sensu & significatione auxilium ferunt, vt possunt: deinde mox sibi redditus, velut resumptis viribus iterum ægritudini resistens, adduci se non est passus, vt domum deferretur; & suis pedibus ægrè, sed tamen ad Collegium venit. Quo toto die magnam alacritatem præ se ferens, videbatur iam propè morbum excussisse: verùm sequenti die maximâ correptus febrī, compedibus iniectis in lectuli ergastulum tantus animus, qui non nisi conuerso orbe mori cogitarat, compingitur.

Ea in ægritudine non minùs admirabilis fuit in patiēdo, quàm fuerat in agēdo, cùm ad vim morbi medicorum sæpe grauiora tormenta accederent. Nam tantus erat tota ciuitate sensus, vt cùm eum omnes

sal-

saluum vellent, omnium remedia
 experiri cogeretur. In eo genere
 primas tulit Prorex, qui omni ope
 atque operâ tantum in Indica stati-
 one militem sibi tam necessarium
 bonus Imperator retinere niteba-
 tur. Sed nimirum iam emeritis sti-
 pendijs rudem alius Imperator of-
 ferebat. Ea omnia quâ ægritudinis
 quâ medicæ artis tormenta tanto a-
 nimo patiebatur, quanto crucem e-
 rat in Iaponia Chinave passurus; &
 hoc solum deplorabat, quòd velut
 socors in culcitra moreretur. Sed
 tamen cum Dei voluntate suam v-
 niens, omninò ex medicis quæsiuit;
 ecquid de salute videretur? non esse
 se qui mortem timeret, nisi quia la-
 borum præmium opinione citius
 offerebatur adhuc, vt sibi videba-
 tur, immerenti. Nec medici fefelle-
 runt: nam artis suæ præsidia dam-
 nantes, morti, quam nondum phar-
 maca superarunt, sese cedere con-
 fessi sunt. Tû demum exultauit Gas-
 par, miratus sese in meta stare,
 qui velut à carceribus curriculum
 ini-

ini-

362 VITAE CASP. BARZAEI
inibat. Primum igitur se ac sua cu-
rare aggressus, rogavit, ut amicos
quidem, verum importunos, visita-
tores nostri excluderent: sed tamé
negari Proregi in primis, alijsque
pluribus non potuit, ut saltem è li-
mine iacentem possent parentem
suum extremum contemplari; quod
cum impetrassent, mox à tristi spe-
ctaculo sese auertentes oculi, offi-
cium lacrymarum, quod solum po-
terant, parenti morituro præstabat.
Tum Gaspar Baccainum misit, qui
P. Melchiorum Nunez (quod erat iam
à B. Xauerio constitutum) aduoca-
ret, ut ei iam nõ in cursu, sed in me-
ta lampada traderet, & moriturus
officiũ resignaret. Venit Melchior,
sed serius; iam enim Gaspar in coe-
lum præcucurrerat. Deinde com-
positis alijs nonnullis, totum se cum
Domino Deo coniungere coepit.
Quam putamus incensum fuisse
eius animum eo tempore, qui sem-
per ita arsisset! sed ea ut erant taci-
ta, solum nobis æstimationem reli-
querunt. Itaque cum duodecim dies
totos

toto
mun
sub
face
miu
phon
ad ta
satis
dere
amp
è qu
Indi
vixe
finit
bilis
quid
quod
ueri
ipse
diffe
desig
buit
præ
& D
rat X
stoli
lare

totos iacuiſſet vir Apoſtolicus, de-
 mum decimo octauo die Octobris
 ſub noctem, qui dies erat D. Lucæ
 ſacer, in Domino ſuauiſſe obdor-
 miuit, anno 1553. De quo ſi hoc epi-
 phonematis loco ſolum diceretur
 ad tanti viri laudem immortalẽ,
 ſatis magni prodigij inſtar eſſe vi-
 deretur, quòd annis in Societate nõ
 amplius ſeptem, menſibus ferè ſex,
 è quibus quinque ſolum annis in
 India, menſe vno, diebus ſexdecim,
 vixerit, & tanta vel multitudine in-
 finita, vel rei magnitudine admira-
 bilia perpetrarit, verè vt dixerit
 quidam, ex India de eo ſcribens:
 quòd in breui conſummatus exple-
 uerit tempora multa. Sed neq; dies
 ipſe obitus fortuitò videtur inci-
 diſſe, quin potiùs diuino conſilio
 deſignatus. Eum quippè diem ha-
 buit ſupremum tantus Euangelij
 præco, qui ſacer erat Euangeliftæ
 & D. Pauli ſocio, quod Gaſpar fue-
 rat Xauerio, (quem gentium Apo-
 ſtolũ ſine inuidia poſſumus appel-
 lare) toties ab eo in ſocium deſigna-
 tus,

Q

tus,

tus, sed diuino semper nutu in opus,
 ad quod eum Deus elegerat, segre-
 gatus; denique è discipulis Domini
 septuaginta duobus vni & pænè
 primario, qui eos septuaginta duos
 institutione Seminarij & Sodalitij
 quoque, si nihil obfuisset, imitatio-
 ne coluisset. Sed neque omittendū
 est, quòd is dies in feriam sextam
 incideret, quam ille semper passū
 Domini commemoratione coluis-
 set, & tantoperè in alijs promouis-
 set. Mortuus quoque est ea ferè ho-
 ra, qua publica flagellatio ardentis-
 simam propè duarum horarum de-
 more concionem concludebat. Ad
 extremū, vt nihil omittamus, quod
 ad eius gloriam facere videatur; bi-
 duò antè mortuus est, quàm sacrarū
 D. Ursulæ Sodalium summo appa-
 ratu festiuitas celebraretur: quas ipse
 tantoperè coluerat, vt ab illis
 ad supernam illam festiuitatem vi-
 deretur inuitat^o. Imò in terris quo-
 que festum sibi diē (quem æger quā
 maximo cultu celebrari mandarat)
 cum illo communicare voluisse vi-
 den-

dentur: namque ita factum fuit, stu-
 pente populo, lætitiæ potiùs quàm
 mæroris significatione Gasparem à
 nostris ac suis Sodalibus efferri. Sed
 mortuum Gasparem, cuius animam
 in cœlos votis solùm possumus, ca-
 lamo ad tumulum vsque prosequa-
 mur. Postridiè cùm ære campano
 populus, quod verebatur, præsen-
 sisset, frequentes ad Collegium
 accurrunt, ac rem intelligentes to-
 ta vrbe passim lugentes, vocifera-
 bantur: M. Gaspar, M. Gaspar mor-
 tuus est: inde breui tantus in ædem
 nostram concursus fieri cœpit, vt
 ædes ac atrium non caperet vni-
 uersos; quorum erat tam continuus
 & lamētabilis eiulatus, vt commu-
 nem omnes parentem, in quo suarū
 animarum salus esset sita, videren-
 tur amisisse. Tum Patres eum ac
 fratres, & pueri ex seminario, non-
 nulli quoque ex D. Dominici, & D.
 Francisci familia Patres, eum in æ-
 dem sublatum comitantur: ac dum
 diductis cortinis intra cancellos
 patuit. (nam detecto vultu iacebat)

Q 3 tanta

tanta facta est comploratio, & vniuersorum Gasparem parentem suum appellantium acclamatio, vt omnes omnino ad commiserationem lugentis populi mouerentur. Cum porrò præ multitudine plures eum non vidissent, tanto impetu est concursus & cõclamatum, vt iam metuerent Patres, ne sibi eriperetur. Itaque in locum editiorem elatus, interim dum Psalmi de more recitantur, firmis claustris asseruabatur; Psalmi præ luctu non exaudiebantur. Et sanè vnus è Dominicanis Patribus, qui aderat concionator, cum tantam turbam motumq; fuisset admiratus, cogitabat in pulpitu conscendere, & panegyricam de Gasparis laudibus orationem habere: sed ipse quoque in lacrymas effusus eloqui nihil potuit, pl^o lacrymis suis quàm verbis Gasparem exornans. Atque ita demum, perfectis omnibus, terræ mandatus, magnum populo luctum, nostris animum ad imitandum, omnibus sui desiderium dereliquit. Et sanè velim hinc aduertiti ab

ti ab ijs, qui ad perfectionem vel suam vel aliorum contendunt, quantum vnus homo, heroicè in virtutē incumbens, possit, ac perficiat amplius, quàm remissi complures; planè vt optare Societati nostræ possimus multos Gaspares. Multitudo enim sapientum, est sanitas orbis terrarum.

CAPVT XV.

Animi submissio.

PANEGYRICA, vt diximus, Gaspari lacrymæ fuerunt, & communis omnium comploratio: verùm hæc ijs sufficiat, qui virtutis eius erant spectatores; nobis iusta tanto viro persoluenda, breui saltem plurimarum virtutum enarratione, nisi iniqui in Patrem, iniurijs in posteros esse velimus, quibus ille perpetuò calcar & norma ad omnem pietatem meritò est futurus. Non est consilij mei, ea quæ ex singularum virtutum instituto laudabiliter præstitit, recensere: sed nonnulla tantùm, vel ex epistolis